

Respondeo debere compellere. Ratio est, quia ex una parte, Parochus tenetur ministrare Extremam Unctionem infirmo, qui absque ullo Sacramento est proxime moriturus, quia in tali casu hoc Sacramentum est illi necessarium juxta Dianam, Sanchez, Palao; & ex alia parte Phræneticus, qui habuit perfectum usum rationis est capax hujus Sacramenti, ut ex Rit. Rom. si absit periculum irreverentiæ, ad quam cavendam posse Phræneticos ligari notant gravissimi DD. cum Aversa, texte Lacroix de Extrema Unctione, num. 2110. eo autem ipso, quod Phræneticus est capax hujus Sacramenti, & ligari potest ad cavendam irreverentiam, & Parochus ministrare tenetur, potest, & debet compellere domesticos ad illud ligandum: quia est unicus modus, unicumque remedium, & quidem licitum, quo obligationi suæ valeat satisfacere, & infirmi salutem procurare.

CAS. III. Silvester pauperrimus, & habens copiosam familiam, ut cum hac possit pellere rigidum tempestatis frigus, quærit modo in uno, modo in alio prædio ligna comburenda; at, cum non inveniat arida, & infructifera, cædit, & aufert fructifera, vel quæ post paucos annos essent valde utilia Domino. Q. an sit tolerandus, vel acriter reprehendendus.

Respondeo eum distinctione. Vel familia Silvestri indigens lignis ad pellendum frigus est constituta in extrema necessitate lignorum, ita ut sine talibus lignis habeatur probabilis timor periculi vitæ, vel est constituta solum in gravi necessitate; si primum, tolerandus est Silvester, quia in tali necessitate omnia sunt communia, & sicuti in simili casu dominus arborum illas cæderet, & combureret, quamvis essent fructifera, cum nullo alio modo suæ extremæ indigentia valeretur occurrere, ita tolerari debet Silvester, si illas cæcidit, & combussit. Si vero secundum dicatur, est reprehendendus, ut clare constat ex propositione damnata ab Innoc. XI. quæ est trigessimæ sextæ in numero.

ANNO MDCCXXXIII.

MENSE JANUARI.

CAS. I. Titius providit venenum Bertæ conjugatæ, cum qua plura scienter patraverat adulteria, firmiter tenens eo uti velle ad occidendos mures, quos ei valde noxios esse sciebat. Berta, cum esset quadam die graviter à mario verberata, ei tradidit tale venenum, ex quo periit, modo vellet contrahere Matrimonium cum Titio. Q. an possit.

Respondeo. Vel Berta habuit animum ducendi Titium, vel non, si habuit, non potest; si non, potest. Ratio primæ partis est, quia sic habetur tum Viricidium effectu sequuto, ut ex *ly ex quo periit*, tum adulterium formale ut ex *ly scienter*, tum animus contrahendi matrimonium cum adultero, ut supponitur, consequenter habetur quidquid requiritur ad impe-

dimentum criminis, quod dicitur Viricidium, seu Uxoridium cum adulterio, sicque Berta non potest cum Titio matrimonium inire. Ratio secundæ partis est, quia si non habuit talem animum, jam deest unum ex requisitis ad tale impedimentum contrahendum; absolute enim requiritur cum Viricidio, & adulterio animus ducendi, ut ex cap. *Significasti, & si quis vivente*, cum sit impedimentum ab Ecclesia inductum, ne conjuges sibi invicem mortem machinentur, sicque Berta potest Titium ducere. Ita communiter omnes agentes de impedimento criminis, de quo unice dubitari potest in præsentia.

CAS. II. Parochus vocatus ad Vetulam moribundam pro excipienda ejus confessione, invenit ipsam ignorantem Articulos Fidei, & periculum est in mora. Q. quomodo se geret.

Respondeo. Si pœnitens Vetula ignoret essentialia requisita ad valorem Sacramenti, v. gr. dolorem, vel propositum, aut Trinitatem, & Incarnationem juxta propositionem 64. damnatam ab Innoc. XI. debet Parochus illam eo meliori modo, quo potest, instruere, secus, Sacramentum esset nullum, & sacrilegium committeretur: Si vero Vetula labore ignorantia vincibili, vel invincibili Mysteriorum, quæ non sunt necessaria necessitate mediæ, sed tantum necessitate præcepti credenda, tenetur monere Vetulam de ignorantia, & si non possit tunc illam instruere, tenetur tunc exigere ab ipsa propositum ignorantiam emendandi, tum curare, ut emittat actum fidei de articulo ignorato, dein illam absolvere, præmissis cæteris ad Sacramenti validitatem requisitis. Ita cum Viva in explicatione citatæ propositionis.

CAS. III. Berta, honestis parentibus nata, ipsis invitis, contraxit matrimonium cum Satellite, quare parentes recusant tum ejus colloquium, tum ejus aspectum, etiam post petitam veniam. Q. an graviter peccent.

Respondeo. Vel parentes, quos rusticos suppono, colloquium Bertæ filia, & ejus aspectum ad longum tempus recusant, & in perpetuum recusare parati sunt, vel solum ad breve tempus; si primum, peccant graviter, nec possunt absolvi, quia permanent in odio, ac vindicta excedente delictum filia plebejæ post petitam veniam; si secundum, non peccant, quia id honeste fieri potest in emendationem filia, & in pœnam sui criminis, & ad aliarum filiarum cautelam; licet enim filia non teneatur obedire parentibus, quoad status electionem, tenetur tamen statum illis non indecorum eligere, & indecorum eligendo, ut in casu, cum infamia propria, & parentum, sane delictum committit ea punitione dignum, ut ad breve tempus ejus aspectum, & colloquium Parentes recusent. Ita cum Giribaldo Diana, Laim. de charitate proximi.

MENSE FEBRUARI.

CAS. I. Titius, contractis Sponsalibus validis cum Rosa, cognovit Franciscam Rosæ sororem ex parte matris, nunc sciens neutram ducere posse, vellet saltem ducere, vel consobrinam, tantum, consanguineam Rosæ ex parte patris, vel consobrinam, tantum consanguineam Fran-

ciscæ similiter ex parte patris. Q. an possit pro libito unam ex istis ducere. Respondeo. Posse ducere consobrinam Rosæ, non vero Franciscæ, si sit consobrina prima, & copula fuerit completa apta ad generationem. Ratio primæ partis est, quia cum Rosa, & ejus consobrina non sint in primo gradu consanguinitatis conjunctæ (inter istas enim, & stipem debet necessario mediare altera persona, quæ primum gradum constituit) sequitur, sponsalia valida inita inter Titium, & Rosam non causare impedimentum publicæ honestatis (de quo unice potest dubitari) inter Titium, & consobrinam Rosæ, cum tale impedimentum ortum ex sponsalibus validis ultra primum gradum non extendatur; potest ergo Titius Rosæ consobrinam ducere. Ratio secundæ partis est, quia inter Titium, & consobrinam primam Franciscæ ab ipso complete cognitæ militat impedimentum affinitatis ortæ ex copula illicita, quod dirimet usque ad secundum gradum: Talis enim consobrina est consanguinea Franciscæ, cum ambæ descendant ex eodem stipite ex parte Patris, & quidem in secundo gradu, cum inter has, ac stipitem mediet una tantum persona, quæ primum gradum constituit, & copula cum Franciscæ fuit perfecta, ut supponitur; ex quibus sequitur consobrinam primam Franciscæ esse affinem cum Titio in secundo gradu, in eo enim gradu, quo consobrina est consanguinea Franciscæ, evadit affinis Titio, qui Franciscam perfecte cognovit, unde non potest illam ducere; dixi, si sit consobrina prima; quia si esset secunda, esset in tertio gradu, ad quem non extenditur impedimentum affinitatis ex copula illicita; dixi, si copula fuit completa, quia ex hac solum nascitur affinitas. Nec dicatur, hac ratione Titium neque posse ducere consobrinam Rosæ contra dicta, quia si Franciscæ est soror Rosæ, per copulam habitam cum Franciscæ, est etiam affinis in secundo gradu cum consobrina prima Rosæ, quæ debet esse consanguinea Franciscæ: contra: consobrina Rosæ solum ex parte patris non est consanguinea Franciscæ sororis Rosæ solum uterinæ; cum consobrina Rosæ, & Franciscæ non descendant ex eodem stipite, ut reflectenti patebit: at Titius per talem copulam nullo modo evasit affinis consobrinæ primæ Rosæ solum ex parte patris, sicque illam poterit ducere, non vero consobrinam tantum ex parte Patris Franciscæ ab ipso cognitæ. Ita omnes agentes de affinitate, & justitia publicæ honestatis.

CAS. II. Petrus videns alterius animalia possessionem suam damnificare, ut servet se indemnem, illa occidit. Q. an peccet mortaliter, & teneatur reficere.

Supponendo casum procedere de columbis, aliisque similibus animalibus, ut contingit de via ordinaria. Respondeo. Vel Petrus nulla alia via potest damnum impedire, vel potest: si non potest, nec peccat, nec tenetur restituere; & ratio est, quia cum quilibet habeat jus ad servanda quæ sua sunt, habet & Petrus jus, ne damnificetur in iis, ad quæ percipienda jus habet, unde si nulla alia via potest damnum reparare, poterit absque peccato, & restitutionis onere, talia occidere: si enim ad defendendas res suas magni tamen momenti cum moderamine inculpatæ tutelæ potest quis absque peccato occidere volentem illum injuste talibus bonis spoliare, a for-

tio-

tiori poterit animalia occidere, si nulla via valet damnum impedire, quod in praxi tamen moraliter impossibile censeo; si vero alia via potest damnum impedire, ut ordinariè loquendo fieri potest, tum clamando, tum artibus ingeniosis animalia arcendo, tum satisfactionem exigendo, ut præticare solent viri timorati, tunc Petrus injuste occidit animalia, & injuste Dominum illorum damnificavit, & quidem graviter, si gravis fuit materia: ergo tunc graviter peccavit, & modo tenetur ad ratam damni restituere. Ita Felix à Potest. de sept. præcept. Decal.

CAS. III. Franciscus postquam confessus est peccata sua: interrogatus à Confessario de sua professione respondet; exerceo professionem periculis plenam; facio, ut vulgo dicitur, el Contravandista, modo frumentum, modo vinum de uno ad alium locum asportando. Q. an hic nolens desistere à tali exercitio sit capax absolutionis.

Respondeo negative. Ratio est, quia etiam præscindendo à gabellarum defraudatione, & à periculo notabilis damni familiæ, hujus furfuris homines experientia magistra, semper habent pravam voluntatem saltem habitualemente injuste resistendi, & vim inferendi, si opus fuerit, ministris publicæ potestatis, usque ad effusionem sanguinis, & mortem; si hoc, jam sunt indispositi ad gratiam in Sacramento reportandam, sicuti habentes domi concubinam, quam propter utilitatem nolunt ejicere; consequenter si nolint exercitio desistere, non sunt absolvendi. Ita in terminis Bonac. Navarr. & Giribal. de pœnit.

MENSE MARTII.

CAS. I. Titius vitricus vellet contrahere matrimonium cum uxore Petri privigni, mortuo privigno. Q. an possit.

Respondeo posse. Ratio est, quia affinitas extenditur solum ad consanguineos fœminæ cognitæ respectivè ad virum; & ad consanguineos viri, qui fœminam cognovit respectivè ad fœminam, sublata modo quacumquæ affinitate mediata, & remota: Titius autem vitricus in casu non est consanguineus Petri privigni, sed tantum affinis in primo gradu per copulam habitam cum ejus matre, quam duxerat in uxorem, unde per affinitatem cum Petro contractam non est affinis uxoris Petri, quæ ut talis esset, deberet esse consanguinea cum matre Petri à Titio cognita, quare Titius potest uxorem Petri privigni, mortuo Petro, sibi in matrimonium conjugere. Ita omnes teste Reinff. & Sanchez, agentibus de affinitate.

CAS. II. Rusticus assuetus laboribus, quadam die jejunii non jejunavit, licet non laboraverit. Dum autem de hoc se accusat in confessione, graviter objurgatur à Confessario firmiter tenente, & asserente esse peccatum in Rustico non jejunare illa die, qua non laborat. Q. an bene se gesserit, & verum docuerit Confessarius.

Respondeo male se gessisse, & falsum docuisse. Ratio est, quia exempti à jejunio ratione laboris cum jejunio incompatibilis, quales sunt omnes rustici laborantes, & specialiter rusticus noster, qui dicitur assuetus laboribus,

ve-

vere excusantur à jejuniis, si quadam die non laborant, non tamen si pluribus diebus successivis à labore cessarent; æquitas enim, & ratio postulat, ut vires ex præcedenti die defatigatas reficiant, & ad sequentem laborem comedendo componant, & sic ad opus suum exeuntes in opere non deficiant. Ita Diana, Giribal. & communiter DD. agentes de jejuniis: ergo rusticus noster tali die à jejunii lege est exemptus; consequenter, & falsum docuit, & male se gessit Confessarius pœnitentem ultra debitum gravando.

CAS. III. Petrus se accusat sæpius audivisse amicos inter se graviter detrahentes famam modo Franciscæ, modo Catharinæ, non se retrahendo à tali auditione præcise ob humanum respectum, absque eo quod tamen illos excitaverit ad detractionem, vel de hac sibi complacuerit. Post confessionem petit à Confessario, an sic detrahentes audire sit peccatum mortale. Q. Confessarii responsum.

Respondeo Confessarium, ut veritatis magistrum teneri respondere negative. Cum D. Th. 2. 2. q. 73. art. 4. in corp. dicente: *Si non placet ei peccatum, sed ex timore, vel negligentia, vel etiam verecundia quadam omittat repellere detrahentem, peccat quidem, sed multo minus quam detrahentes, & plerumque venialiter.* In casu enim Petrus detrahentes non repulit ex verecundia quadam, cum idem sonet *ly ob humanum respectum*, unde venialiter tantum peccavit, nisi verecundia orta fuisset ob magnam auctoritatem detrahentis, in quo sensu nec venialiter peccasset; ut docet Lacroix in 8. decal. præcepto. Licet sic respondere debeat Parochus, ut verum dicat, monere tamen debet tamquam Medicus pœnitentem, ut faciat quantum potest ad detractionis peccatum impediendum cohærenter ad ea, quæ in similibus casibus docent Doctores.

MENSE APRILIS.

CAS. I. Titius se accusat decies habuisse rem cum fœmina intra mensem. Q. an sit ei statim deneganda absolutio, an vero præmissis debitis interrogationibus possit absolvi.

Respondeo. Debitas præmittendas esse interrogationes, & cohærenter ad responsa, esse Titium absolvendum, vel non absolvendum. Ratio est, quia si ex Titii responsionibus colligat Confessarius ipsum esse in occasione proxima voluntaria, eo quia alias promiserit Confessario fœminam dimittere, cum potuerit, & non dimiserit, & eundem numerum peccatorum exponat in Confessione præsentis, ac in aliis Confessionibus, nec multum temporis transierit ab ultimo peccato commisso, non potest illum absolvere juxta propositionem 61. ab Innoc. XI. damnatam, cum nequeat efformare judicium practicum de proposito pœnitentis, ejusque dispositione ad Sacramentum requisita. Similiter si colligat Confessarius, Titium alias non peccasse cum tali fœmina, sed interrupte hoc mense decies solum peccasse, tum ne vires enervaret, tum quia defuit ulterius peccandi commoditas, & posse fœminam dimittere; non debet illum absolvere, nisi prius dimittat, eo quia licet aliqui DD. asserant talem pœnitentem pro prima

vice absolvi posse, cum nequeat prudenter dubitari de efficacia illius propositi, sicuti non dubitatur de prima vice promittente restitutionem facere, tamen omnes advertunt caute procedendum esse; quia fœmina domi existens ad objectum præsens, quod nimis movet, & experientia docet, pœnitentem absolutum ante fœminæ dimissionem, cum qua solet peccare, statim ad vomitum redire, unde stante illa occasione proxima est absolutio incapax. Pariter si agnoscat Confessarius, pœnitentem esse in occasione proxima, sed involuntaria, quam nequit physice, vel moraliter dimittere, alias tamen eadem peccata exposuisse in Confessione, ita ut nec adsit emendatio, nec spes emendationis, non debet illum absolvere, sed differenda est absolutio, ut de habente consuetudinem peccandi loquuntur DD. cohærenter ad propositionem 60. ab eodem Innoc. damnatam, eo quia non potest efformari practicum judicium de efficacia propositi. Si vero Confessarius ex pœnitentis responsis colligat, esse quidem in occasione proxima involuntaria, sed alias non fuisse talia peccata confessum, vel adesse emendationem, aut emendationis spem, sicuti si colligeret, non esse in occasione proxima, vel ex quo multum temporis transierit ab ultimo peccato, vel paucis diebus peccata compleverit, alias non solitus delinquere, vel ex quo fœminam dimiserit, vel ex quo quotidie fœminæ domum peterit, & potuerit quotidie peccare, sed solum decies peccaverit, vel quid simile; tunc si ei denegaret absolutionem, saltem contra charitatem peccaret, quia nullum est fundamentum dubitandi de efficacia propositi; sequitur ergo non esse statim tali pœnitenti absolutionem denegandam, sed præmittendas esse interrogationes, & sic cohærenter ad responsa dandam esse, vel retinendam absolutionem.

CAS. II. Mulieres, dum se accusant diebus Festis laborasse per plures horas sine necessitate, à Parocho redargutæ de lethali, respondent, putare non peccasse lethaliter, quia non laborarunt lucri gratia. Q. an huic responsioni acquiescere possit Parochus.

Respondeo negative. Ratio est, quia ad rationem operis servilis prohibiti die festo impertinens est, utrum fiat ex lucro, aut recreatione; sicuti enim intentio, & animus lucrandi non facit opus esse servile, ita ab opposito intentio non lucrandi non tollit ab opere servili rationem servilis, ut docent Nav. Suar. Facund. de observatione festorum; quare licet fœminæ, de quibus in casu possint à gravi peccato excusari titulo ignorantiae, si fuit invincibilis, tamen illarum dictum non debet illas instruere, ut deinceps à talibus operibus etiam sine lucro exercendis abstineant, nisi alia urgeat vera causa talibus operibus vacandi.

CAS. III. Petrus per annum retinuit rem alienam, quam pluries potuisset commode restituere. Q. quot peccata commiserit.

Respondeo cum Giribald. de rest. tract. 2. cap. 5. dub. 4. Vel Petrus tali tempore expresse, & directe renovavit propositum non restituendi, vel habito proposito restituendi non restituit, data opportunitate restituendi, licet crederet dominum esse rationabiliter invitum, vel neutro ex his modis se gessit non restituendo; si primis duobus modis se habuit, toties peccavit Petrus, cum quoties expresse renovavit propositum non restituendi, fuit

fuit enim novus actus contra præceptum, sicque novum peccatum, tum quoties habito proposito restituendi, data opportunitate cognita non restituit: sic enim saltem implicite novam habuit voluntatem non restituendi virtualiter retractativam primi propositi restituendi; si vero neutro ex his modis se gessit Petrus, per dilationem restitutionis ejus peccatum evasit gravius, non multiplex, quia nec novus habetur actus, nec novum urget præceptum, nec sola physica interruptio sufficit ad novum peccatum; unde solum est perseverantia moralis in primo peccato, quod certe peccatum aggravat, novum vero non constituit.

MENSE MAII.

CAS. I. Titius conjugatus solitus habere rem cum Berta, quadam die sic ei dixit: Si moreretur Uxor mea, ducerem te in Uxorem, cui illa respondit, & ego ducerem te in Maritum. Moritur Uxor Titii. Q. an possit contrahi tale Matrimonium.

Respondeo posse. Ratio est, quia non militat species illa impedimenti criminis, quod dicitur adulterium cum promissione futuri Matrimonii, de quo unice dubitari potest in præsentia. Etenim, ut tale impedimentum contrahatur, requiritur adulterium formale, & promissio futuri matrimonii, prout expresse loquuntur Canones, qui contenti non sunt simplici animi, & amoris ostensione; sed in casu habetur quidem adulterium, quod supponitur formale, at non habetur promissio, illa enim locutio *ducerem te in Uxorem, ducerem te in Maritum*, est velleitas Matrimonii, desiderium promittendi, & simplex ostensio animi, & expressio amoris, non vero Matrimonii promissio, unde non obstat tale impedimentum, quod obstaret, si dixissent *ducam te in Uxorem, ducam te in Maritum*. Ita omnes, ut videre est apud Rosignol.

CAS. II. Confessarius audita cujusdam pœnitentis Confessione illum interrogat, quomodo eliciat actum doloris de peccatis suis, cui responder, sic dico in corde meo. Diligo te Deum meum super omnia, quia summe bonus es, parce peccatis meis. Q. an audita hac responsione possit pœnitentem absolvere.

Respondeo negative. Ratio est, quia dolor requisitus ad validitatem Sacramenti pœnitentiæ, cum sit pars materialis ejusdem ex Trident. sess. 14. cap. 3. & can. 4. debet esse expressus, & formalis, nec sufficit virtualis, sicuti materia Eucharistiæ debet esse formalis, cum non sufficiat uva, aut triticum, quæ virtualiter sunt vinum, & panis; at dolor, ut in casu, licet sit virtualis contentus in actu dilectionis Dei super omnia, non tamen est formalis, cum non habeatur expressa detestatio peccatorum; actus enim amoris non est formalis actus doloris, nec talis redditur per illa verba *Parce peccatis meis*, cum in suo rigoroso sensu sumpta significant tantum precationem, & orationem Deo factam, quæ formalem dolorem non importat; unde Confessarius, ut pœnitentem absolvat, curare debet, ut formalem peccatorum dolorem emittat. Dixi in suo rigoroso sensu sumpta, ut debent verba sumi in casibus conscientiæ resolvendis; quia si per talia verba rusticus

intendat exprimere dolorem, & vere doleat, in re habebitur dolor formalis apud Deum, non sic apud Confessarium, qui ex talibus verbis secundum communem intelligentiam non posset illum inferre.

CAS. III. Petrus ante annum decimumquartum completum habuit rem cum Uxore fratris sui, dum tale peccatum confiteretur, complevit annum decimumquartum requisitum ad incurrendam reservationem, quoad casum numeri quarti. Q. an simplex Confessarius possit illum absolvere.

Respondeo negative. Ratio est, quia in absolutione reservatorum respicitur tempus, quo datur absolutio, cum reservatio afficiat Confessarium, ita Possev. de pœnitentia: & sane si peccatum heri commissum, quando non erat reservatum, hodie fiat reservatum, & hodie in confessione exponatur, non potest à communi Confessario absolvi, quia hodie restricta est in Confessario jurisdictio, ut docent Tambur. Diana, Felix à Potest. de Pœnitentia cap. 5. num. 338. quare idem judicium non erit ferendum in casu nostro, cum militer eadem ratio?

MENSE JUNII.

CAS. I. Berta assueta labori, sæpe de nocte è somno excitatur à puero lacte indigente; hæc ut minori incommodo Infantem nutriet, sistit se super lectum, & sic puero lac præbet: Interim gravi somno correpta in lecto puerum suffocat. De mane lacrymans cum Marito suo accedit ad Parochum pro confessione talis infanticidii instituenda. Parochus audita pueri suffocatione mittit sive fœminam, sive virum ad Pœnitentiarium pro absolutione. Q. an Parochus potuerit absolutionem impendere.

Respondeo affirmative. Ratio est, quia si dubitari potest, unice est vel titulo excommunicationis appositæ in Synodo Diocesana lib. 2. cap. 2. de Baptismo contra tenentes infantes in proprio lecto intra annum, vel ratione homicidii voluntarii; sed neutrum impedit absolutionem; non excommunicatio, quia est solum ferendæ sententiæ, ut videre est in Synodo; non homicidium voluntarium, quia ad incurrendam hanc reservationem, homicidium debet esse studiose, data opera, & malo animo ex proposito causatum vel directe, vel indirecte, in causa proxima; tale sane non est infanticidium in casu, licet enim potuerint peccare, & peccaverint parentes in lecto infantem suffocando, si sufficientem non adhibuerint diligentiam, tamen talis suffocatio, cum non fuerit ex animo deliberato causata, non est voluntaria in se, vel in causa proxima voluntarietate ad reservationem requisita; unde nulla in casu habetur reservatio, consequenter Parochus, poterat illis, si peccarunt per omissionem debitæ diligentiæ, absolutionem impendere. Ita Girib. Gabrin. Graf. de reservatione.

CAS. II. Titius graviter tentatus consentit, efficaciter peccare proponit, occasionem peccandi quærit, & invenit. Interim dum fervet opus, hanc suam perversam voluntatem millies repetit, nullo modo tamen illam revocando. Q. quot peccata Titius commiserit.

Respondeo unicum. Ratio est, quia omnes actus, & motus seqq. uniuntur moraliter cum primo consensu efficaci in ordine ad externam ejusdem

actus consummationem. Quod si actum internum Titius moraliter interrupisset, & reassumpsisset, tunc tot essent numero peccata, quot interessent reassumptiones, vel formales, vel interpretativæ. Ita communiter DD. agentes de peccatis.

CAS. III. Petrus sic se accusat, sæpius juravi falsum; interrogatur à Confessario, quomodo falsum juraverit, respondet *en mi conciencia, á fe mia*, ita est, & sciebat non esse. Queritur, an Confessarius debeat efformare iudicium de juramento in re, vel solum ex conscientia erronea.

Respondeo non debere efformare iudicium de juramento. Ratio est, quia præsciendū ab intentione talia proferentis, non invocatur Deus nec immediate, nec mediate, ut requiritur ad rationem juramenti ex ejus definitione; sensus enim illorum verborum est, hoc est verum, ut dicat mea conscientia, aut humana fidelitas, in quorum verborum expressione nullo sane modo Deus invocatur, unde non habetur juramentum in re. Potest tamen Confessarius, & debet efformare iudicium de perjurio peccaminoso ex conscientia erronea, si Petrus putans vere jurare, talia dixerit, cum apud Petrum idem sit, ac si vere jurasset. Ita Girib. de juramento, & Leander, qui plures citat.

M E N S E J U L I I.

CAS. I. Titius cognita Catharina, ignorans contraxisse impedimentum ad ducendam illius Sororem Rosam, iniit cum Rosa Sponsalia: modo cum venerit in notitiam, non posse contrahere cum Rosa ob impedimentum affinitatis, vellet saltem contrahere cum Catharina. Q. an possit.

Respondeo posse. Ratio est, quia si non potest ducere Rosam, est, quia habuit veram copulam completam licet illicitam cum Catharina illius Sorore, ex qua oritur impedimentum affinitatis dirimens matrimonium usque ad secundum gradum inter Titium, & consanguineos Catharinæ, intra quem gradum includitur Rosa, quæ utpote Soror Catharinæ, est illi consanguinea in primo gradu; At inter Titium, & Catharinam per Sponsalia iniita cum Rosa post copulam habitam cum Catharina nullum habetur impedimentum dirimens, & maxime non habetur impedimentum publicæ honestatis, de quo solum apparere potest dubium; nam talia Sponsalia cum Rosa post copulam habitam cum Catharina illius Sorore sunt invalida, utpote contracta cum habente impedimentum affinitatis dirimens matrimonium; ex Sponsalibus autem invalidis nullo modo nascitur impedimentum publicæ honestatis, ut videre est apud Pont. Reinf. & alios de hoc impedimento agentes; unde Titius optime in casu ducere potest Catharinam.

CAS. II. Cajus inivit pacem cum inimico, attamen ipsum videndo, non salutata, data occasione alloquendi ipsum non alloquitur. Q. an peccet contra præceptum diligendi proximum.

Respondeo regulariter loquendo non peccare. Ratio est, quia regulariter loquendo homo privatus ex præcepto charitatis solum obligatur ad exhibenda proximo signa communia, qualia sane non sunt salutatio, & allocutio;

titio, talia enim exercere inter æquales, sunt actus liberi; illa omittere inter inæquales sunt signa inurbanitatis, unde regulariter loquendo censendum est, Cajum in casu contra præceptum Charitatis non delinquere. Dixi regulariter loquendo, quia ratione alicujus circumstantiæ, puta si cederet in scandalum, si pluribus occurrentibus cætos salutaret, & alias inimicum à salutatione excluderet, vel quid simile contingeret, tunc Cajus graviter peccaret, quia in talibus circumstantiis salutationis, & alloquutionis omissio esset manifestum odii interni signum. Ita Felix à Potest. Decal. præcept. num. 502. & seq.

CAS. III. Franciscus ex malitia non communicavit in Paschate, seu tempore Paschali, modo tali elapso tempore, putat, quidem peccasse, non satisfaciendo Ecclesiæ præcepto, attamen non teneri sumere sacram Synaxim pro satisfactione præcepti annuæ Communionis. Q. an bene vel male sentiat.

Respondeo, male sentire: ita cum D. Thom. Navarr. Suar. contra non paucos. Ratio est, quia tempus Paschale est ab Ecclesia determinatum non ad finiendam obligationem, ut contingit in præcepto audiendi Sacrum die festo, & recitandi Officium in diem, sed ad sollicitandam obligationem sumendi sacram Synaxim, quod colligitur ex verbis præcepti Ecclesiæ *ad minus in Pascha*, unde tenetur Franciscus quam primum moraliter Ecclesiæ præcepto satisfacere, Eucharistiam sumendo.

M E N S E A U G U S T I.

CAS. I. Berta, cum esset Virginis intercessione liberata à quadam infirmitate, juravit in honorem Virginis, quotidie ter recitare Salutationem Angelicam flexis genibus, brachiisque extensis. Cum quadam die ex pigritia, tales Salutationes non recitasset, interrogata à Matre, an illas recitasset, respondit advertenter, cum intentione jurandi, *juro per Deum illas recitasse*, sciens tamen illas non recitasse. Q. an mortaliter peccaverit Berta, sive Salutationes non recitando, sive jurando illas fecitasse.

Respondeo, Bertam lethaliter peccasse jurando, venialiter vero non recitando, ita Sporer, & Lacroix. Ratio primæ partis, quia in juramento assertorio, quale est in casu, defectus veritatis importat semper peccatum lethale, cum idem sit invocare Deum in testem falsi, in te sive magni sive parvi momenti: veritas enim, & falsitas consistunt in indivisibili, nec datur magis aut minus verum, aut falsum; at in casu deficit veritas, & quid cum advertentia, & animo jurandi, ut ex terminis casus; ergo Berta jurando se recitasse Angelicas salutationes, cum illas sciverit non recitasse, lethaliter peccavit. Ratio secundæ partis est, quia in juramento promissorio, quale est velle recitare salutationes Angelicas, quoad veritatem de futuro non invocatur Deus in testem veritatis, vel falsitatis, sed solum quasi in sponsorem obligationis ponendi rem cum juramento promissam, obligatio autem rei promissæ est modo major, modo minor ad rationem materia majoris, vel minoris momenti, at in casu materia, seu res promissa est levis momenti: nemo enim prudens tres Angelicas salutationes tanquam quid leve